

**QUINTA DIES IUNII.
DE S. BONIFACIO MARTYRE, LEGATO
APOSTOL. ET ARCHIEP. MOGUNTINO.
SOCIISQUE MARTYRIBUS; EOBANO,
COEPISCOPO; ADALARIO SEU
ADALHERO, WINTRUNGO ET WALTERO,
PRESBB. HAMUNDO, SCIRBALDO, BOSA,
LEVITIS; WACCARO, GUNDECARO,
ELLEHERO, HATHEVULFO, MONACHIS;
HILTEBRANDO ET ALIIS XL LAICIS.
DOCCOMII IN FRISIA.
VITA I.**

**Auctore Willibaldo Presbytero. Ex Ms.
Trevirensi & editionibus tribus, Canisii,
Serarii, ac Mabilionis.**

PROLOGUS.

[1] Dominis sanctis & vere in Christo carissimis, Lullo & Megingozo Coëpiscopis, [Auctore Lullo & Megingozo Episcopis incitantibus,] Willibaldus, licet indignus, in Domino Presbyter. Percepto piæ Paternitatis vestræ affectu pariter & voto, non propriæ laudis litterali scientia confidens, sed debitum obedientiæ obsequium vestræ impendens Sanctitati, libenter parui; arduumque quod suggestistis opus, exiguis viribus inchoavi, ad perfectionis terminum fine tenus deducens. Sed obsecro, ut si quidpiam, aliter quam vestra voluntas expetierit, provenerit; infirmitatis meæ imbecillitatem, operisque impositi sublimitatem æquo animo sustineatis: quoniam

maximum meæ * reverentiæ est indicium, cum vestræ Sublimitatis imperio obedientiæ operam non denego. Quod si dignum aliquid & nostris temporibus profuturum confecerim, divino utique muneri ac præcepti vestri desiderio conferendum est: quoniam pia quandoque desiderantis voluntas, & manum imitatur emunctoris, & impressionis suæ violentia vel minimam quamdam desideratæ scientiæ dulcedinem parat, famelicumque impertiendo reficit.

[2] Decevit enim Sanctitas vestra, insipientem sapientibus, & minus idoneum prudentibus coæquare ac præferre: & quod, sine nostro videlicet conatu, prudenti sermone revelare potuistis, hoc mihi velut ignaro imponere. Sed deprecor, ut quem præcepti vestri torcular deprimit, [scribere profitetur, quæ ipsi & alii ex discipuli suggesserunt,] precatus assiduæ orationis infundat; & mentem ignaviæ caligine obtusam, voluntas spontaneæ dilectionis vestræ e somno resuscitet; ut ad ea ad quæ cogentibus vobis invitata est, tenacior vivaci sermonum narratione reddatur. Compulistis enim me, ut ad normam eorum, quorum aut vitæ castimoniam, aut morum sanctimoniam, sancti proculdubio Patres eleganti verborum ambage chartis inserendo tradiderunt (petentibus religiosis ac Catholicis viris, quibus vel in Tusciæ partibus, vel in Galliæ terminis, vel in Germaniæ aditibus, aut etiam in Britannici limitibus, S. Bonifacii Martyris fama miraculorumque coruscatio perstrepat) sicut discipulis ejus secum diu commorantibus, vel vobis ipsis referentibus comperi, proœmium mediumque ac finem vitæ ejus, quanta valeam indagatione, litteris inseram.

[3] Et quemadmodum primæ prævaricationis resolutio chirographo, & veræ lucis radio illucescente, Egesippus, qui sub Anacleto Romam venisse fertur, quinque ecclesiasticorum actuum libros, ob utilitatem legentium,

edidisse perhibetur; Eusebius Caesareensis, nominatissimus historiographorum Scriptor, cum Pamphilo Martyre & adjutore suo, suorumque sibi antecedentium temporum historias, mira eloquii dissertitudine texentes, infinita scriptis volumina ediderunt; necnon & Gregorius, qui erat vir beatæ memoriæ litterarum studiis eruditissimus, glorioso Apostolicæ Sedis culmine sedens, beatorum scribens Confessorum Vitam, dialecticum miro ostendens moderamine, quatuor logica expressit ratiocinatione libros; qui hucusque Ecclesiarum inserti bibliothecis, elucubratam posteris scientiæ afferunt dignitatem; ita beati viri vitam, præcelsasque ejus virtutes, & cultum pietatis atque abstinentiæ robur, præsentibus ac post secuturis seculis jubetis demonstrare.

[4] [studio obediendi.] Sed quamvis, ad demonstrandam tantarum rerum rationem, exiguum me parvumque fieri auctorem agnoscam; tamen exigente benevolentia vestræ voluntate, hoc quod demandastis, vobis jubentibus, non propriæ præsumptionis insolentia fretus, sed assertione Catholicorum confisus, aggrediar opus; neque ex parvitatæ meæ stylo propriæ laudis præbens exemplum, dum his quisque instruitur formulis, & ad meliora profectus sui perfectione perducitur.

CAPUT I.

**Infantia. Vita monastica. Studia Virtutes.
Sacerdotium. Iter in Frisiam vivente Ratbodo.**

[5] Illustrem igitur ac vere beatam S. Bonifacii summi Pontificis vitam moresque ejus, Sanctorum magnopere imitatione sacros, licet opacitate præpediti scientiæ, exili tamen opusculi hujus stamine innectere, ac simplici historiæ tegmine, quemadmodum religiosi viri referentibus comperimus; qui quotidiana ejus * colloquii & religionis conversatione sedulo præsentati, ea quæ

audierunt vel viderunt, in exemplum posteris tradiderunt, congregata verborum varietate, texendo nitimur enodare; & ab exordio usque ad finem, quanta possumus indagazione, divinæ contemplationis ejus sanctimoniam revelare. Cum enim primævo puerilis ætatis decore, multa (ut solet) maternæ sollicitudinis cura ablactatus atque enutritus esset; magna nimirum * dilectione, ceterorum postposito amore filiorum, affectatus est a patre. Sed qui jam labentia cuncta animo subjecerat, & æterna magis quam præsentia cogitare disposuerat; [Anno 4 aut 5 æt. de monasterio cogitans,] cum esset annorum circiter quatuor seu quinque; Dei servitio se subjugare studuit, multoque mentis conamine de monasteriali jugiter vita insudare, & ad eam mentis quotidie nisibus anhelare. Cum vero aliqui, sicut illis regionibus moris est, Presbyteri sive Clerici, populares vel laicos prædicandi causa adissent, & ad villam domumque præfati patrisfamilias venissent; mox, quantum possibilitatis ejus pusillanimitas in infantia sua prævaluit, cœpit cum eis de cælestibus loquendo tractare; &, quid sibi suæque infirmitati in futurum proficeret, interrogare.

[6] Cumque ita diu de cælestibus diuturna mentis meditatione cogitaret, [patris primum obsistentis,] ac totum se in futurum extenderet, & ad superna erigeret; patri etiam demum hæc quæ animo gerebat revelavit, & ut suæ consuleret voluntati rogavit. Quo comperto obstupefactus pater, magna eum increpationis instantia, partim minis ne se desereret prohibuit, partim etiam blandimentis ad secularis curam instigabat negotii; ut temporaneo eum transitoria hereditatis subjungeret lucro, & sese quandoque defuncto suæ terrenæ facultatis custodem, imo etiam heredem relinqueret. Verbis quidem quamplurimis fraudulenta humanæ calliditatis usus versutia, tenerum a cœpti perfectione propositi animum declinare tentavit; magisque hanc suæ tolerabiliorem esse infantia activam, [deinde morbo castigati] quam

vitam monasterialis militiæ contemplativam, multiplici sermonum adulatione promittit; ut vel sic a propositi hujus conamine eum cohiberet, & ad mundani luxus mollitiem incitaret. Sed vir, jam Deo in pueritia plenus, quanto est a patre plus prohibitus, tanto mentis arrepta fortitudine cælestem sibi acquirere thesaurum, & sacris se conjungere litterarum studiis anxius anhelabat: fitque mirum in modum, sicuti semper divina agere solet misericordia, ut suo imbecillioris ætatis militi Deus & cæptæ rei solatium, & anxie voluntatis augmentum, obsistentisque repentinam patris mutationem mentis providens condonaret; ita ut uno eodemque temporis successu, & festina patrem ægritudo, subitaneo jam imminente mortis articulo, subrepserit; & quia quantocius pueri, magno temporis intervallo præpedita, voluntas succreverit; Dominoque Deo adjuvante, succrescendo impleta sit ac perfecta.

[7] [impetrato assensu,] Postquam enim, miro dispensationis Dei judicio, carnalem ingens sancti viri patrem arripuerat languor; deposita mox pristina mentis pertinacia, puerum, propinquorum facta conventionem, ad monasterium, quod priscorum nuncupatur vocabulo Adestancastre, spontaneus, a Domino quidem correptus, direxit; & fideli viro Wolfardo, qui & Abbas extitit illius monasterii, per fideles suæ legationis nuntios redditum commendavit. Quem puerilibus adhuc in annis constitutus, sapienter suis secum adstantibus amicis allocutus est; & quod multo videlicet tempore, monasteriali se regulæ subjicere desiderasset, rationabili prolata petitione, [in illud recipitur] sicut a parentibus pridem edoctus erat, indicavit. Cui protinus Pater monasterii, inito Fratrum consilio, & eorum accepta (sicut regularis vitæ poposcit ordo) benedictione, consensum præbuit & effectum. Sicque vir Dei, carnali orbatus patre, * adoptivum nostræ redemptionis secutus est Patrem; terrenisque seculi renuntians lucris, mercimonium deinceps æternæ

hereditatis acquirere satagebat; ut, juxta veridicam Veritatis vocem patrem relinquendo ac matrem, aut agros, aut alia quæ hujus mundi, centuplum acciperet, & vitam æternam possideret. [Matth. 19.]

[8] [solum septennis:] Expleto igitur, licet summatim, primordiali expositionis nostræ ordine, quali se, in initio studiosæ conversationis, sanctimoniam subdiderit, breviter protulimus; ut fabricæ a nobis fundamento confecto, structuræ paulatim sublimitas ad summa altius erigeretur. Postquam igitur infantiam septem evolvuntur anni, puerilis adveniente decore ætatis, etiam mira in eo scientiæ prævaluit fortitudo. Magna siquidem mentis & ineffabili gravitate, [piisque institutionibus insistit:] cælesti inspirante gratia, sicut obsequentia hujus operis documenta declarant, ditatus est; & multarum castimonia virtutum, juxta ostensum Sanctorum exemplar, præcedentium & venerabilium institutis Patrum subditus, declaratus ac decoratus. Adeo enim divino exarsit ingenio, ac lectionis apprime se subdidit exercitio, ut singulis quibusque additis temporibus, momentis atque horis, annorumque curriculis, auferentur etiam in eo superna adventa, divinaque donorum incrementa protectoris: & quanto pastoralis pædagogio magisterii est proventus, tanto ad profectum æternæ beatitudinis (sicut fideles confamiliaritatis illius viri pro certo testati sunt) eum quotidiana ejus studia jugi laudis litterali meditatione die noctuque incitavere: & contra infestas diabolicæ suggestionis persecutiones, quæ tenerum sæpe apud mortales juventutis florem seu nebulosa quadam cæcitatibus caligine obtegere solent, [magno cum profectu:] mirabiliter protexere: ita ut etiam, propter indesinentem diurnæ sollicitudinis ejus curam & sempiternam sacrarum legum examinationem, illecebrosa in eo adolescentiæ incentiva, & carnalium desideriorum impetus primitus impingentes, Domino Deo auxiliante, maxima ex parte sedavere, magisque ac

magis ad communem provehant populorum doctrinam: quam non multo transacto temporis intervallo, secundum Pontificale Ecclesiasticæ definitionis decretum, inchoavit, dilatavit, ac perfecit.

[9] [tum alio migrat studiorum causa] Quoniam caduca hujus mundi contemnens ornamenta, monasterialis vitæ normam in infantia rite, sub moderata Patris præfati gubernatione, annos quamplurimos custodivit; donec pueritiæ facescente lascivia, & pubertatis inchoante adolescentia, ardentior illum ingenioli sui voluntas accendit, ut ad finitima quoque monasteria, magisterialis lectionis provocatus penuria, cum consensu atque consilio conservorum fidelium Patrisque monasterii perveniret. Cumque voto simul & intentione, Omnipotentis sibi adesse incessanter magna precum instantia suffragium postularet; tandem divina cælitus inspirante gratia, ad monasterium quod usque hodie Nutschelle dicitur, pervenit; & beatæ memoriæ Winberhti Abbatis, qui venerabiliter prædictum sub disciplina regebat monasterium, spiritali litterarum diligentia provocatus, elegit magisterium, Fratrumque secum in Domino viventium contubernia.

[10] Ac sic servorum Dei junctus consortio, devotum Domino Deo servitium, & laboriosam vigiliarum instantiam, [deinde docet Fratres:] lectionisque divinæ operam, ingenti meditationis studio, exhibuit: ita ut maxima demum Scripturarum eruditione, tam Grammaticæ artis eloquentia & metrorum medullatæ facundiæ modulatione, quam etiam historiæ simplici expositione, & spiritalis tripartia intelligentiæ interpretatione imbutus, dictandique peritia laudabiliter fulsit; ut etiam aliis demum paternarum extiterit pædagogus traditionum, & auctor magisterii, qui & discipulus antea subjectorum esse non recusavit. Quoniam sacræ mos est conversationis, ut præferre se

ceteris pertimescat, qui subjici aliis maluerit (quia & rectæ obedientiæ operam subjectis impendere non valebit, quam superna Prælati dispensatione juste non exhibebit) hanc etiam ita omnibus in commune viventibus, [exemplum virtutis factus,] & maxime suo sub regulari videlicet disciplina Abbati monachica subditus obedientia præbebat, ut labore manuum quotidiano & disciplinali officiorum administratione, incessanter secundum præfinitam beati Patris Benedicti rectæ constitutionis formam insisteret; omnibus exemplum bene vivendi, in verbo conversatione, in fide & castitate se præbens, ut omnes de fructu ejus perciperent; & ipse omnium mercedis æternæ perciperet portionem.

[11] [Monarchis undique accedentibus,] Sed & humilitatis quoque ejus & caritatis excellentiam solus qui occultorum est cognitur Deus, intimæ inspectionis suæ consideratione novit, qua omnes sibi commilitones solerti cura subjunxerat, ut ab eis timori pariter haberetur & amori: & quem divina lectione haberent socium, mutuo Apostolicæ admonitionis honore prævenirent ut patrem. Tantaque in eo affabilitatis erga Fratres & cælestis doctrinæ succrevit magnitudo, ut rumore sanctæ exhortationis ejus crebrescente, fama multis per monasteria tam virorum quam etiam Virginum Christi apertissime clareret: quorum quidem quamplurimi, virili sexus robore confortati, & lectionis instantia incitati ad eum confluxere; & saluberrimæ scientiæ fontem potantes, numerosa Scripturarum volumina legendo recensuere: quibus vero * sexus infirmioris imbecillitas inerat, & assidua pergendi abnegabatur facultas, [& sacris Virginibus per litteras consulentibus eum.] tantæ sibi sapientiæ virum, divini inflante spiritu amoris, præsentari fecerunt; paginarumque transcurrentes seriem, cælesti instanter scrutinio inhæsere, & sacramentorum arcana mysteriorumque abdita jugiter meditabantur. Quem ita superna sublevavit gratia, ut juxta egregii Prædicatoris

exemplar & gentium Doctoris vocem, formam habens sanorum dictorum, in fide & dilectione Jesu Christi solícite * currens, seipsum probabilem exhiberet Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. [1 Tim. 2.]

ANNOTATA G. H.

Adescanastre, Anglo-Saxonibus Exanceaster, vulgo Excester, Latinis Exonia, Romanis Isca Danmoniorum, sic dicta quasi Castrum ad Iscam sive Escam fluvium, eratque Devoniae (in qua natus Bonifacius erat Cridanti, vulgo Kirton) metropolis, etiam a Monachis apud Cambdenum Monketon seu Monasterium dicta. Consule 7 Februarii nostri, ad Vitam S. Richardi §. 3 num. 17.

Side Note* Ad optimum

CAPUT II.

Sacerdotium susceptum, iter in Frisiam vivente Ratbodo, deinde Romam, hinc in Germaniam, iterumque in Frisiam ad S. Willibrordum.

[12] Ad generalem ergo quotidianæ contemplationis ejus formam, [Studiosus in lectione,] & diuturnam parsimoniae continentiam, sermo a nobis aliquantisper directus derivatur: ut per singulos quosque ascensus, sublimia hujus sancti viri opera propensius, compendiosa verborum raritate sequamur, studiumque vitæ per omnia venerabilis Bonifacii subtilius indagando prosequamur ut & æqua libraminis moderatione exemplar nobis æternitatis, & potens fiat Apostolicæ eruditionis norma. Qui per Sanctorum exempla arduam cælestis intelligentiæ semitam feliciter scandens, ac prævium populis ducatum præbens, portam Domini Dei nostri, quam Justī intrabunt, ipse ingressus aperuit; & ab infantia sua usque ad decrepitam ætatis senectutem,

præteritorum non mediocriter Patrum sapientiam imitatus est; dum Prophetarum jugiter & Apostolorum verba, stylo sanctitatis conscripta, & gloriosam Martyrum passionem, nimirum apicibus litterarum insertam, sed & Euangelicam Domini Dei nostri traditionem quotidie commendabat memoriæ; & secundum Apostolum, sive manducasset, sive bibisset, [laude divina,] sive aliud aliquid egisset, laudis semper præconium & devotæ fastigium jubilationis tam mente quam & ore persolvebat Deo, juxta illud Psalmographi: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. [1 Cor. 10.], [Psal. 33.] In tantum enim Scripturarum exarsit desiderio, [prædicatione,] ut omni se intentione earum imitationi & auditioni sæpius conjungeret: & quæ ob doctrinam populorum conscripta sunt, ipse, mira eloquii disertitudine & solertissima parabolarum assertione, efficaciter prædicando retexit. Cui tale discretionis temperamentum inerat, ut & vigori correptionis mansuetudo, & vigor prædicationis mansuetudini non deesset: sed quem zelus accenderat vigoris, mansuetudo mitigabat amoris.

[13] Divitibus ergo ac potentibus, liberisque ac servis æqualem sanctæ exhortationis exhibuit disciplinam, ut nec divites adulando demulceret, nec servos, nec liberos distractione prægravaret: sed juxta Apostolum, omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. [1 Cor. 9.] Qui & doctrinæ cælestis documentum, non suo ante tempus arripuit arbitrio; nec obstinationis suæ rapina usurpatum acquisivit: sed sanctæ humilitatis profectu, triginta aut amplius annorum habens ætatem, [anno ætatis 30 sit Sacerdos:] magisteriali & familiari sublevatus electione, juxta canonicæ constitutionis regulam suscepit, & ad Sacerdotalis officii gradum diversis donorum ditatus muneribus accessit; ita ut eleemosynis quidem misericordiæque operibus, quantum sub regulari monasterialique prævaluit distractione, opere penitus ac

voluntate deserviret. Sed & nocturna vigiliarum spatia omnibus horis præveniens, orationis se sollicitius laboriosa operatione exercuit: cujus nec patientiam ira subripuit, nec longanimitatem furor commovit, nec libido continentiam expugnavit, nec abstinentiam gastrimargia violavit: sed ita omni se jejunii frugalitate subjugavit, ut vinum & siceram non bibens, utriusque Testamenti imitaretur Patres, & cum egregio gentium diceret Doctore; Castigo corpus meum, & servituti subjicio; ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. [1 Cor. 9.]

[14] Collecta ergo sparsim superius sublimitate sancti hujus viri virtutum, silentio quæ subsequuntur minime prætermittenda æstimamus, quæ & fidelium didicimus relatione virorum, & manifesta equidem scripturæ patefactione exerere curamus, quanta suarum perseverantia virium & cœptis bonis inhæreret, & ad alia quæque festine properando animum incitaret. Cumque diutius mentem supra enumeratis virtutibus edomaret, & de die in diem ad altiora bonorum documenta sub prædicto se Presbyteratus gradu proveheret; jam regnante In West-Saxonum Rege, subitanea quædam incubuerat, nova quadam seditione exorta, necessitas: & statim synodale a Primatibus Ecclesiarum, [Synodi statuta ad Archiepiscopum defert:] cum consilio prædicti Regis, servorum Dei factum est Concilium. Moxque omnibus in unum convenientibus, saluberrima de hac recenti deffensione consilii quæstio inter Sacerdotales Ecclesiastici Ordinis gradus sapienter exoritur, & prudentiori inito consultu fideles in Domino legatos ad Archiepiscopum Cantuariæ civitatis nomine Berctwaldum destinandos deputarunt; ne eorum præsumptioni aut temeritati adscriberetur, si quid sine tanti Pontificis agerent consilio. Cumque omnis Senatus & universus Clericorum ordo tam providenti peracta collatione consentirent, confestim Rex cunctos Christi famulos

allocutus est, & cui hujus præfatæ legationis nuntium imponerent, sciscitatus est.

[15] Tunc repente summus in Christo Archimandrita, qui prædicto præerat monasterio, nomine Winbercht; & Wintra, qui monasterio quod dicitur Disselburg præsidebat; & Beerwald, qui divina cœnobium gubernatione, quod antiquorum nuncupatur vocabulo Glestingaburg, regebat; necnon & alii multi hujus sancti propositi Patres, sanctum hunc virum accitum adduxerunt ad Regem: cui & nuntium Rex & legationis notitiam imposuit, & adhibitis secum sociis direxit cum pace. Qui etiam nuntio sibi imposito, juxta mandatum seniorum, prospero itinere pervenit ad Kent; & Archiepiscopo, summi Pontificatus infula prædito, sapienter cuncta, quemadmodum edoctus erat a Rege, per ordinem revelavit: & sic spontaneo accepto responso, post non multos dies reversus est ad patriam; præfatoque Regi, prædictis servis Dei secum adsistentibus, a venerabili Archiepiscopo spontaneum scienter detulit responsum, & magnum universis contulit gaudium: ac sic deinceps, mira dispensationis Dei benevolentia, nomen ejus diffamatum est, & celebre apud omnes, tam seculares dignitates, quam etiam Ecclesiastici officii ordines habebatur; ita ut amodo jam proficiens in futurum, synodali sæpissime eorum intererat instituto.

[16] Sed quia mens Deo dicata favoribus non attollitur humanis, nec laudibus sublevatur; cœperat ad alia, multa solitudinis cura, attentius properare; & parentum affiniumque suorum consortia devitare, & peregrina magis quam paternæ hereditatis terrarum loca desiderare. [Abbate ægre consentiente] Sed cum sic longo temporis intervallo secum solertissime deliberaret, ut patriam parentesque desereret; tandem accepto beatæ memoriæ prædicti Patris consultu, cuncta animi sui secreta, intra conscientiam antea abscondita,

patenter aperuit; & magna precum instantia ad consensum suæ voluntatis sancti viri animum provocavit. Qui etiam magna primitus admiratione obstupefactus, poscenti sane supplicantique desideratum ad tempus contradixit iter, ut cœpti propositi sedaret industriam. Sed ad extremum, invalescente omnipotentis Dei providentia, convaluit etiam sermo petentis: & tanta Abbatis Fratrumque suorum secum sub regulari disciplina viventium devotione adoptatum inchoaverat iter, Dominoque Deo dispensante compleverat; ut ei etiam humani sumptus solatia libenter impenderent; & magna cordis commotione, lacrymarum diutius infusiones, orationumque supplicationes pro eo ad Dominum funderent.

[17] [discedit Londinum,] Hic etiam dum spiritual confortatus armatura, & seculari sublimatus sumtura, utriusque vitæ stipendiis minime careret; adhibitis secum duobus aut tribus Fratribus, quorum corporali spiritualique indigebat sustentaculo, profectus est: ac sic immensis peragratis terræ partibus, prospero ovans Fratrum comitatu, [& inde navigat Dorestadium,] pervenit ad locum ubi erat forum rerum venalium, & usque hodie antiquo Anglorum Saxonumque vocabulo appellatur e Lundenwic: ac non multo transacto postliminio, nautarum naviter novus quidem epibata, consentiente nauclero aggressus est navem; nauoque impenso, prospero ventorum flatu pervenit ad Dorstat; ibique aliquamdiu commoratus, debitum Domino Deo exolvit die noctuque præconium. Sed quoniam gravi ingruente Paganorum impetu, hostilis exorta dissensio, inter Karolum Principem gloriosumque Ducem Francorum, & Radbodum Regem Fresorum, populos ex utraque parte perturbabat; maximaque pars Ecclesiarum Christi, quæ Francorum prius in Fresia subjectæ erant imperio, [Ultrajecti a Radbodo frustra petit facultatem prædicandi:] Ratbodi incumbente persecutione, ac servorum Dei facta

expulsione, vastata erat ac destructa; idolorum quoque cultura, extractis delubrorum fanis, lugubriter renovata; tunc vir Dei perspecta perversitatis nequitia pervenit ad Trecht; ibique aliquantis exspectatis diebus, advenientem Regem Radbodum allocutus est, ut multis illarum circumvallatis ac conspectis terrarum partibus, utrum sibi in futurum prædicationis uspiam patesceret locus, perquireret: proponensque animo, ut, si qua in parte hujus populi patesceret aditus, quo Evangelium claresceret, verbi quidem Dei semina ministraret: quod etiam multis transactis annorum curriculis gloriosa martyrii testificatio comprobavit.

[18] [in Angliam ad suum monasterium redit:] Sed quia Sanctorum singulare munus est sanctitatis; dum ad tempus suum sine spiritualis virore germinis laborem minime pollentem perspiciunt, ad alia prorsus loca fœcunda laboris cum fructu migrant: quoniam incassum inhabitatur locus, si & fructus deest sanctitatis. Sanctus enim vir, dum sterilem aliquamdiu Fresorum terram inhabitaret, & æstatis autumnique aliquantulum tempus præteriret; jam arida cœlestis rore fœcunditatis reliquerat arva; & ad natale, suis cum supradictis conviatoribus, solum migravit: ac monasterii sui secreta petens, etiam ibidem, secundi anni hiemem, tripudiantium Fratrum amore susceptus, hiemando * transegit, ut apostolicam Doctoris gentium vocem imitaretur dicentis; Ibi enim constitui hiemare. [Tit. 3.]

[19] Transcursis jam ex parte sancti viri virtutibus, subsequencia ejus, quemadmodum rem remigerulis referentibus gestam comperimus, patenter proferimus: ut apertior in perpetuum vitæ morumque ejus, ad normam sanctæ conversationis illius tendentibus, pateat callis. Cumque ingens peregrinationis exegisset discrimen, gurgitumque maris evasisset dispendium, [Abbatis mortui locum suscipere renuit:] & Fratrum suorum iterum

reversus se societati dedisset, eorumque contubernio dies deinde plurimos injunxisset; gravi demum mentis arreptus est mœrore, & recenti oppressus animi tristitia; dum senilia jam Magistri membra infirmari conspiceret, extremumque adstante Monachorum congregatione obitus sui diem, languoris convalescente immensitate, vibrando palpitandoque imminere; & tandem deposito corporis ergastulo, sub tristi mœrentium adspectu Fratrum, ultimum efflare spiritum videret. Quia in Sanctorum frequenter cordibus compassionis specialiter condolens refulget pietas, qua ad tempus sedulo solent contristari; sed Apostolico inhærentes præcepto in Domino jugiter consolantur; jam blande adorsus est Fratres, & spiritualibus eos colloquiis memor paternæ traditionis hortatur, ut regularis jugiter constitutionis formam & ecclesiasticæ definitionis normam in omnibus conservarent; & ut Patris cujuslibet spiritualis se subjungerent imperio, instruxit. Tunc omnes unanimiter consonis instabant vocibus, & sanctum hunc virum, qui illo dicebatur in tempore Winfrid, cuncti precabantur, ut pastorale super eos Abbatis susciperet magisterium. Sed refutatis mox patriæ facultatibus, & primatu regiminis abjecto, ad prædestinata jam promptus ac paratus, solerti se cura excusavit, omnemque heredum substantiam abnegando renuit.

[20] Cum vero hibernale jam tempus præteriret, & calor æstatis candesceret, pristinaque labentis anni renovaretur intentio; omni solitudine iter omissum iterando renovare studuit. Tunc litteris etiam commendatitiis a beatæ memoriæ Daniele speculatore plebis Dei acceptis, [a s. Daniele Ep. acceptis commendatitiis] ad limina Apostolorum Romam venire tentavit. Quem tamen resistentium aliquamdiu Fratrum orbata Patre impedivit necessitas, caritasque ejulantium ac compassio utrobique dolentium ad tempus obsistebat; ita ut magno quidem mentis angore premeretur, & in

quam se verteret partem ignoraret. Metuebat enim ne grex magistro commissus, jam sine vigilantis pastoris custodia eo decedente luporum morsibus pateret; & ut peregre proficiscendi, autumnale sibi deficeret tempus, formidabat. Cumque Omnipotens, solita non immemor pietatis suæ clementia, servum suum tanta animi pressura perturbatum ex anxio vellet dolore eripere, & jucundum gregi providere magistrum; jam præfati Antistitis erga Fratres intestina facta est meditatio, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum, huic præsidere fecit Ecclesiæ; & sanctum hunc virum, per longas peregrinationis vias ire volentem, ad loca incolumem destinata direxit.

[21] Qui protinus quidem valedicens Fratribus, profectus est; [navigat in Gallias,] locumque, per longa terrarum spatia, qui jam prædictus dicitur Lundenwic, voti compos adiit; & celocis celeriter marginem scandens, cœpit ignotas maris tentare vias; tripudiantibusque nautis, immensa Coro flante carbasa consurgebant, & pleno vento prosperoque cursu ostia fluminis citius quod dicitur Cuent, omni jam expertes periculo naufragii adspiciunt, & ad aridam sospites terram perveniunt. Sed & castra metati sunt in Cuentawic, [transgressus Alpes,] donec superveniens se collegarum multitudo congregasset; omnibusque collectis, per singulos quosque dies, imminente hiemis frigore, profecti sunt; multasque Sanctorum ecclesias orando adierunt, ut tutius opitulante Altithrono Alpina montium juga transcenderent, Longobardorumque erga illos humanitatem mitius sentirent, militumque malitiosam superbicæ ferocitatem facilius evaderent. [Romam venit:] Cumque, Sanctorum suffragante patrocínio & Domino Deo dispensante, omnis cohors contubernalium, comitatu hujus sancti viri inhærens, limina S. Petri Apostoli prospere aggressus est; immensa statim Christo pro sospitate eorum grates persolvunt; atque ecclesiam S. Petri Principis Apostolorum

magno cum gaudio ingressi, abolitionem peccaminum postulantes, diversa quidem munera eorum quamplurimi detulerunt.

[22] Transactis autem diebus non multis, sanctus iste vir venerabilem Sedis Apostolicæ Papam, beatæ memoriæ Gregorium, a primo secundum, & novissimo priorem, affatus (qui & vulgarica Romanorum lingua dicitur Junior) omnem sibi per ordinem itineris sui atque adventus occasionem manifestavit; [pluribus cum S. Gregorio II agit:] & quali anxius desiderio diutius desudasset, apperuit. Sanctus itaque Papa, repente hilari vultu arridentibusque oculis intuitus in eum, inquisivit an litteras ab Episcopo suo commendatitias detulisset. At ille etiam exempto pallio, chartam ex more involutam litterasque protulit, deditque mirabili sanctæ recordationis viro: qui statim acceptis litteris annuit ei ut abiret. Apostolicus vero Papa perlectis litteris, & recensita commendatitiæ conscriptionis charta, sedulum deinceps cum eo habebat quotidianæ disputationis colloquium, donec proficiscendi redeundique æstivum instaret tempus.

[23] [litteris ejus instructus,] Cum vero Nisan mensis, qui est Aprilis, præteriret; & Jair, qui est Majus, jam portæ patescerent; tunc etiam postulata atque accepta benedictione & litteris a beatissimo Papa, ad inspiciendos immanissimos Germaniæ populos directus est; ut, an inculta cordium arva, Evangelico arata vomere, prædicationis semen recipere voluissent, consideraret. Ac sic extemplo, collecta numerosa Reliquiarum multitudine, reciproco suorum reditu conservorum Italiæ fines adiit; optimumque Longobardorum Regem Liodobrandum, pacificis salutatum muneribus, compellavit; & honorifice ab eo susceptus, lassata ex itinere membra repausabat: [& salutato Luitprando Rege,] ac sic remuneratus, ardua ac plana agrorum peragrans spatia, prærupta Alpium

juga transcendit: incognitosque Bajoariorum & confines Germanicæ terminos aggrediens, in Turingiam, juxta mandatum Apostolicæ Sedis, considerando progressus est; ad instar videlicet prudentissimæ apis, [in Turingia verbum Dei prædicat,] quæ suctim camporum circumvolat arva, & numerosas redolentium herbarum copiam pennigeris molliter perstrepens alis circumvolat, carpentique rostro pertentat, melliflua ubi nectaris lateat dulcedo; & suis eam, omni penitus mortiferi succi amaritudine contempta, alveariis invehit; & secundum quamdam Apostolicæ ratiocinationis eloquii similitudinem, omnia probat, & quod bonum est tenet. [1 Thess. 2]

[24] Sanctus itaque vir Dei in Turingia, juxta insitum sibi mandatum Apostolici Pontificis, [magno fructu:] Senatores plebis, totius denique populi Principes verbis spiritualibus affatus est; eosque ad veram agnitionis viam & intelligentiæ lucem provocavit, quam olim ante, maxima siquidem ex parte pravis seducti Doctoribus, perdiderunt. Sed & Sacerdotes & Presbyteros, quorum alii religioso Dei omnipotentis cultu incaluerunt; alii quidem fornicaria contaminati pollutione, castimonicæ continentiam, quam sacris servientes altaribus servare debuerunt, amiserant; sermonibus Evangelicis, quantum potuit, a malitiæ pravitate ad canonicæ constitutionis rectitudinem correxit, admonuitque atque instruxit. Et Franciam deinde Fratribus secum commeantibus ingressus est: statimque audita Ratbodi Fresonum Regis morte, alveum quidem fluminis, magno gavisus gaudio, navigio ascendit, [& mortuo Radbodo in Frisia laborat,] optans quod etiam Fresia recepisset verbum Dei, & ad incultas cælesti prædicatione terras pervenit. Jamque atrocis cessante Regis Ratbodi persecutione, doctrinæ cælestis semina ministravit; & verbi Dei fame expulsa, famelicam paganicæ superstitionis multitudinem æternæ prædicationis refecit pabulo.

[25] [cum S. Willibrordo, per triennium:] Cumque desiderantis repente mentem spontaneus operis sequeretur effectus, & votiva prædestinatæ doctrinæ lux Domino Deo dispensante claresceret, Karolique Ducis gloriosi super Fresones roboratum esset imperium; jam buccina cælestis verbi increpuit, & prædicatorum adveniente superni roris fertilitate, vox intonuit Dei: etiam per Willibrordum virum venerabilem ac cooperatores ejus propagatus est sermo. Sed qui messem quidem multam, operarios autem paucos in messe cernebat sanctus hic Dei famulus, cooperator factus etiam est, per tres instanter annos, Willibrordi Archiepiscopi: multumque in Christo laborans, non parvum Domino populum destructis delubrorum fanis & extructis ecclesiarum oratoriis, præfato Pontifice opitulante, acquisivit.

[26] [a quo successor ordinandus,] Cum vero summus hic senuisset Pontifex, & ætatis plurimis gravaretur annis; decrevit etiam, suggerente discipulorum cœtu, ut solatium tanti ministerii suæ decrepitæ senectuti provideret, & fidelem de parva congregatione virum eligeret, qui tanto præesse potuisset populo. Accitoque hoc Dei famulo, salutari eum instructione admonuit, ut Episcopalis regiminis susciperet gradum, & ad regendum Dei populum sibi subveniret. Qui etiam humiliter repente respuens, minime se dignum esse Episcopatus gradu referebat; & ne sibi tantæ dignitatis fastigium, adolescentiæ adhuc in annis constituto, imponeret, deprecatus est; & quoniam quinquagesimi anni, juxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plene reciperet ætatem, testatus est, ut omni se penitus excusationis tergiversatione ab hujus gradus celsitudine declinaret. Prædictus itaque tam sancti præconii Pontifex, [constanter se excusat,] placidis illum verbis increpavit, & diligenti eum cura ad hujus propositi gradum instigavit, populique subjecti maximam magnopere paupertatem prædicebat. Sed cum neque sic correptus, ad

suscipiendum hujus celsitudinis gradum consentiret, per longas tricationum moras spiritualis inter eos exorta contentio, & consona pulchræ discretionis facta est dissensio.

[27] Hic vero grandi præventus humilitate, tanti gradum contradixit honoris; ille autem piissimi appetitu lucri irretitus, salutem concupivit animarum. Cumque sic diversa jam sermocinationum verba invicem protulissent; [& dimitti postulat.] sanctus hic Dei servus, velut in spirituali quodam stadio positus, placidæ prorsus excusationis exerens sermonem, ait: O summæ sanctitatis Pontifex, o spiritualis proreta agonis, ego enim a beato sanctæ recordationis Gregorio Papa Germanicis mandatum gentibus detuli: ego Apostolicæ Sedis legatione fungens, ad occidentales Barbarorum regiones, sponte tuæ me dominio gubernationis injunxi, & propriæ voluntatis arbitrio, ignorante Dominorum sublimatu, copulavi, quorum usque in hodiernum diem sponsionis voto constrictus sum, servitutique subjectus: quapropter, sine Apostolicæ Sedis consultu, & authenticæ jussionis mandato, tam præclaræ sublimitatis ordinem suscipere non audeo. Sed & alia quæque rationabili petitionis supplicatione verba proferebat, dicens: Obsecro igitur, ut me propriæ sponsionis vinctum catenis, ad has ad quas primitus a Sede Apostolica missus sum terras, destinando dirigas. Cui protinus vir Dei, audita tantæ professionis causa, data ei benedictione, licentiam dedit abeundi.

ANNOTATA. G. H.

Acta S. Gregorii II Papæ illustrata sunt ad diem 13 Februarii, §. 4 ejusdem res gestæ circa S. Bonifacium: ac propter ejus zelum in conversione Germanorum, diximus posse appellari Apostolum Germanorum, sicut S. Gregorius I Apostolus Anglorum, ob Apostolicos viros ad conversionem utriusque gentis ab utroque missos: quod

autem Secundi successor immediatus Gregorius III, hic vocetur novissimus, eo fit, quod Quartus non nisi 100 post illos annis creatus sit, postquam hæc scripta essent.

His litteris Pontifex commisit illi curam prædicandi in cunctis Germaniæ populis. Eæ sunt datæ Idibus Maji, imperante Augusto Leone, anno tertio Imperii, Indictione 2. Is est annus Christi 719.

Edouardus Majheu, in ejus Vita, arbitratur, in Anglia observatum, ne quis ante annum ætatis trigesimum Sacerdos, aut quinquagesimum Episcopus consecraretur: & hanc consuetudinem hic appellari canonicam rectitudinem, cum alioquin lex Ecclesiastica non extet: neque id passim observatum, imo & ipse ante illam ætatem a S. Gregorio II ordinatus est. Mabilio existimat Bonifacium hic respicere ad illud Numerorum 8 v̄ 24, ubi præcipitur ut Levitæ usque ad annum 50 ministrent, deinde custodes sint vasorum sacrorum, quod S. Gregorius lib. 2 Dialogorum cap. 2 aptat Pastoribus animarum.

Est hic omnino memoria lapsus Willibaldus, de Gregorio, quasi de mortuo loquens: ille enim primum obiit anno 731, quando Bonifacius ex nostro calculo superabat annum ætatis quinquagesimum, natus circa annum 680.

CAPUT III.

**Heßis conversis, Episcopus Romæ ordinatur
Bonifacius: Turingiam excolit, monasteria condit, &
tertium Romam abit, dein Synodos celebrat.**

[28] [Amanaburgum excurrit:] Qui etiam statim proficiscens, pervenit ad locum cui nomen inscribitur Amanaburch, a juxta Apostolum enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam assecutus est. [1 Tim. 1.] Per

singulos enim a proœmio gradus, virtutis documenta & laboris in Domino constantiam hujus sancti viri perstrinximus, ut sequentia subtilius bonorum ejus exempla conglobatim ad memoriam revocemus. Cumque ingentem Domino populum in Fresonibus acquireret, multique ab eo spirituali doctrina edocti ad agnitionem veritatis, irradiantibus veræ lucis radiis, pervenirent; [& multis ibi conversis,] Domino patrocinate, alias Germaniæ prædicandi causa partes adiit; & supradictum locum, cui gemini præerant germani, Detric videlicet & Dierolf, Domino auxiliante obtinuit; eosque a sacrilega idolorum censura, qua sub quodam Christianitatis nomine male abusi sunt, revocavit; ac plurimam populi turbam, [monasterium construit:] rectæ patefacta intelligentiæ via, errorum deposito horrore, a malevola Gentilitatis superstitione retraxit; & monasterii, collecta servorum Dei congregatione, cellam construxit.

[29] [Hessos convertit:] Similiter & juxta fines Saxonum, Hessorum populum Paganicis adhuc ritibus oberrantem, a dæmoniorum, Evangelica prædicando mandata, captivitate liberavit; multisque millibus hominum expurgata Paganica vetustate baptizatis, idoneum nuntium ac fidelem suarum litterarum portitorem, nomine Binnam, Romam direxit: Patrique venerabili Apostolicæ Sedis Pontifici, universa quæ circa illum Domino dante facta sunt, muta quidem littera ministrante, per ordinem revelavit; & quod magna multitudo hominum, [de successu informat Romanum Pontificem:] divino illustrante Spiritu, regenerationis perciperet sacramentum, manifestavit. Sed & de rebus, quæ ad quotidianam Ecclesiæ Dei necessitatem populique proventum pertinebant, plura ob consilium Sedis Apostolicæ interrogando conscripsit. Cum enim aliquantos dies præfatus hic nuntius prædicto maneret loco, & jam reditus sui tempus instaret, tunc etiam a præfato Sedis Apostolicæ Pontifice, mutuuum legationis suæ responsum accepit; & statim reversus

chartam Sedis Apostolicæ conscriptionis, jam non multo transacto tempore, Magistro attulit.

[30] [ad eumque profectus ipse,] Cumque sanctus vir allatas legisset litteras, carptim se invitatum ad Romam intellexit, festinusque summum obedientiæ gradum implere tentavit; clientumque confestim stipatus caterva, & Fratrum circumseptus agmine, Francorum ac Burgundionum, Italiæ jam collibus Alpium transcens, limitum fines militumque terminos transmigravit: & Romanæ urbis mœnibus conspectis, Altithrono repente condignas gratiarum laudes rependit, & ad S. Petri mox ecclesiam perveniens, diligenti se oratione munivit. Cumque lassata membra paulisper quievissent, jam S. Gregorio Apostolicæ Sedis Pontifici nuntiatum est, quod hic Dei famulus adveniret: qui etiam bene susceptus, in xenodochium adductus est. Adveniente itaque opportuno colloctionis eorum die, & ad basilicam S. Petri Apostoli adventante glorioso Sedis Apostolicæ Pontifice, confestim hic Dei famulus invitatus est: & cum paucis ad invicem ac pacificis se salutassent verbis, jam de Symbolo & fidei Ecclesiasticæ traditione Apostolicus illum Pontifex inquisivit. Cui mox hic vir Dei humiliter respondit, dicens: Domine Apostolice, novi me imperitum, jam peregrinus, vestræ familiaritatis sermone: sed quæso ut otium mihi & tempus conscribendæ Fidei mihi concedas, & muta tantum littera meam rationabiliter fidem adaperiat. Qui etiam protinus concessit, & ut festine hanc scripturam deferret imperavit.

[31] Cum aliquanto temporis evoluto spatio sanctæ Trinitatis fidem, urbana eloquentiæ scientia conscriptam, detulisset, reddidit Præfato Pontifici: [fidei suæ formam scripto tradit Papæ:] exspectavit nihilominus dies aliquos, sic saltem reinvitatus est; & Lateranum inductus, humiliter prono vultu postulata benedictione, pedibus Apostolici Pontificis advolutus est. Qui repente eum relevavit a

terra; & chartam, in qua integra & incorrupta fidei patuit veritas, huic famulo Dei reddidit; eumque consedere fecit, & salutari eum admonitione doctrinæ instruxit, ut hanc sine intermissione intemeratam Fidei munitionem observaret, & aliis instanter suarum pro possibilitate virium prædicaret. Multa quoque alia de religione sanctitatis & fidei veritate sciscitando profert; ita ut omnem pene diem pariter colloquendo alternatim ducerent; & ad extremum, qualiter populi, per devia prius facinorum oberrantes, Fidei documenta sua prædicatione perciperent, sciscitatus est.

[32] Et cum pro certo comperisset, quod maximam quidem multitudinem plebis a sacrilega dæmonum cultura ad consortium sanctæ Ecclesiæ adscisceret; [ab eo Episcopus ordidinatur 30 Novemb.] intimavit ei, quia Episcopatus sibi imponere gradum voluit, populis, pastoralis prius solitudine privatis, & juxta sententiam Domini Dei nostri, jacentibus sicut oves non habentes pastorem, præferre. Sed quia contradicere huic tanto Pontifici Apostolicæ Sedis prælato non auderet, consensit etiam & obedivit. Sicque summus sanctæ auctoritatis Pontifex diem constituit Ordinationis, id est pridie Kalendarum Decembrium. Cumque sacrosanctus solennitatis dies & natalitius Andreæ & præfinitæ Ordinationis illuxisset, jam sacer Sedis Apostolicæ Pontifex Episcopatus sibi & nominis, quod est Bonifacius, imposuit dignitatem: eique libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticæ constitutionis jura Pontificalibus gesta sunt conventibus, accomodavit; & ut ex hoc inconvulsa apud se Pontificalis hæc disciplina & institutionis ordo permaneret, populique subjecti his imbuantur exemplis, imperavit; sed & familiaritatem sanctæ Sedis Apostolicæ, tam sibi quam omnibus sibi subjectis, ex hoc in futurum condonavit; & Karoli Ducis gloriosi, suis sacratissimis litteris, regni munimine ac devotione sanctum hunc virum, Episcopatus gradu pollentem, subjugavit.

[33] Is autem dum per longos viarum anfractus ingentium populorum adisset confinia, [Sub patrocínio Caroli Martelli,] jam quidem ad præfatum Francorum Principem venit; & venerabiliter ab eo susceptus, litteras prædicti Romani Pontificis Sedisque Apostolicæ Karolo Duci detulit; ejusque dominio ac patrocínio subditus, ad obsessas antea Hessorum metas, cum consensu Karoli Ducis, rediit. Tum vero Hessorum jam multi Catholicæ Fidei subditi, [Hessos iterum adit:] ac septiformis Spiritus gratia confirmati, manus impositionem acceperunt: & alii quidem, necdum animo confortati, intemeratæ Fidei documenta integre recipere renuerunt; alii etiam lignis & fontibus clanculo, alii autem aperte, sacrificabant. Alii vero aruspicia & divinationes, præstigia atque incantationes occulte, alii quidem manifeste exercebant: alii quidem anguria & auspicia intendebant, diversosque sacrificandi ritus incoluerunt; alii etiam, quibus mens sanior inerat, omni abjecta Gentilitatis profanatione, nihil horum commiserunt.

[34] Horum consultu atque consilio, arborem quamdam miræ magnitudinis, quæ prisco Paganorum vocabulo appellatur Robur-Jovis, in loco qui dicitur Gicesmere, servis Dei secum adstantibus, succidere tentavit. Cumque mentis constantia confortatus arborem succidisset, [quem cum adorari solitam evertit,] magna aderat copia Paganorum, qui & inimicum deorum suorum intra se diligentissime devotabant. Sed ad modicum quidem arbore præcisa, confestim immensa roboris moles divino desuper flatu exagitatur, & palmitum confracta culmine corruit, & quasi superni nutus solatio in quatuor etiam partes dirupta est; & quatuor ingentis magnitudinis æquali logitudine trunci, absque Fratrum labore adstantium apparuerunt. Quo viso prius devotantes Pagani, & jam versa vice credentes, benedictionem Domino, pristina abjecta maledictione, [ex eaque oratorium construit:] reddiderunt. Tunc autem summæ

sanctitatis Antistes, consilio inito cum Fratribus, ligneum ex supradictæ arboris metallo Oratorium construxit, illudque in honorem S. Petri Apostoli dedicavit.

[35] [in Turingiam profectus,] **Universis quæ prædiximus completis, & superno suffragante nutu peractis, ad Turingiam, profectus est; & seniores plebis populique principes affatus est; eosque, relicta ignorantia cæcitate, ad acceptam dudum Christianitatis Religionem iterando provocavit; quia facescente suorum Regum dominio, magna quidem eorum comitum multitudo, sub Theobaldi & Hedenis periculoso primatu, qui lugubre super eos tyrannici ducatus, & infestum vastationis potius quam devotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos præventa morte, vel hostili siquidem educatione captivata est; in tantumque diversis constricta malis, ut cetera quæ manebat residua populi turba, Saxonum se subjiceret principatui. Quo cessante religiosorum Ducum dominatu, [de tyrannis & hæreticis triumphat.] cessavit etiam in eis Christianitatis & Religionis intentio; & falsi seducentes populum introducti sunt fratres, qui sub nomine Religionis maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt sectam: ex quibus est Torchtwine & Berchthere, Fanbercht & Hunred, fornicatores & adulteri, quos juxta Apostolum Dominus judicavit. Hi validissimum adversus hominem Dei excitaverunt conflictum: sed veris verborum oppositionibus confutati, dignam reprehensionis sortiti sunt sententiam.**

[36] **Cumque renovatus per populum fidei illuxisset candor, & plebs ab ingenti erroris erepta esset laqueo; jam expulsis profani hostis amicis, & infestis populi supradictis seductoribus; messem quidem multam cum paucis admodum messoribus incoluit, & magnam primitus mundi hujus penuriam ac frugalitatem sustinuit, [Ordorpense monasterium construit:] magnisque tribulationum angustiis coarctatus, verbi Dei semina**

propagavit. Sed cum credentium paulatim pollesceret multitudo, prædicatorum quoque multiplicatus est & catalogus. Tunc etiam Ecclesiæ repente instaurantur, & prædicationis ejus doctrina multiformiter emanavit; monasteriumque, congregata servorum Dei unitate & monachorum sanctitate, constructum est, in loco qui dicitur Ordorp, qui propriis sibi more Apostolico manibus victum vestitumque instanter laborando acquisierunt.

[37] [plures cooperatores adsciscit:] Sicque sanctæ rumor prædicationis ejus diffamatus est, in tantumque inolevit, ut per maximam jam Europæ partem fama ejus perstreperet; & ex Britannicæ partibus servorum Dei plurima ad eum, tam Lectorum quam etiam Scriptorum, aliarumque artium eruditorum virorum, congregationis conveniret multitudo: quorum quamplurimi regulari se ejus institutioni subdiderunt, populumque ab erraticæ Gentilitatis profanatione plurimis in locis evocavere; & alii quidem in provinciam Hessorum, alii etiam in Turingiam dispersi, late per populorum pagos ac vicos verbum Dei prædicabant. Cumque ingens utriusque populi multitudo fidei sacramenta, multis millibus hominum baptizatis, perciperet; jam defuncto beatæ memoriæ Gregorio secundo Sedis Apostolicæ Papa, [Gregorio III nuntios suos mittit,] & glorioso præfatæ Sedis Gregorio Juniore Apostolici culminis Cathedram præsidente, denuo Romam nuntii ejus venerunt, sanctumque Sedis Apostolicæ Pontificem allocuti sunt; eique prioris amicitiae fœdera, quæ misericorditer ab antecessore suo S. Bonifacio ejusque familiæ collata sunt, manifestaverunt. Sed & devotam ejus in futurum humilitatis Apostolicæ Sedi subjectionem narraverunt; & ut familiaritati ac communioni sancti Pontificis atque totius Sedis Apostolicæ ex hoc devote subjectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precabantur.

[38] Statim ergo sanctus Sedis Apostolicæ Papa pacificum profert responsum, [ab eoque Pallium an Reliquiis accipit:] & suam Sedisque Apostolicæ familiaritatem & amicitiaë communionem, tam S. Bonifacio, quam etiam sibi subjectis condonavit; sumptoque Archiepiscopatus Pallio, cum muneribus diversisque Sanctorum Reliquiis, legatos honorifice remisit ad patriam. Advenientibus ergo nuntiis, ac spontanea viri Apostolici referentibus responsa, jam gratulabundus Apostolicæ Sedis nimium confortatus devotionis suffragio, [erigit monasteria Fridlariense & Hamanaburgense:] opeque divinæ misericordiæ inspiratus, duas ecclesias Domino fabricavit; unam in Fridislar, quam in honorem Sanctorum Petri & Pauli Principis Apostolorum consecravit; & alteram in Hamanaburch, hanc etiam in honorem S. Michaëlis Archangeli dedicavit. Duo quoque monasteriola duabus injunxit Ecclesiis, hisque non minimam servientium Deo multitudinem subrogavit; ita ut usque hodie gloria, & benedictio, & gratiarum actio Domino Deo devote conferatur.

[39] His omnibus rite confectis, Bajoariorum, temporibus n Hucperti Ducis, adiit terras; prædicationisque studium apud eos diligentissime exercuit, & multas considerando circuit Ecclesias: [in Bavaria zelum exercet:] tantoque divinæ fortitudinis zelo armatus est, quod quemdam schismaticum, hæretica pravitate deceptum, nomine Eremwlfum, juxta Canonum decreta damnavit atque abjecit; & populum a perversæ sectæ ejus idololatria correxit, & ad Fratres suæ diæcesis, constituta gubernationis causa, rursus migravit, juxta illud Apostoli, cupiditatem habens veniendi ad Fratres. [Rom. 15.]

[40] Igitur hujus viri aliquantisper meritorum documentis excerptis, quanto se religionis regimine per cunctos ætatis suæ gradus indesinenter rexit, brevi videlicet

proferamus sermone. Quoniam quidem diutinus Sanctorum usus est, ut quotidie aliorum per exempla ad meliora se provehant; & decrescente dierum calculo, crescat in eis etiam intimi virtus amoris. Cumque Ecclesiarum esset non minima in Hassis & Turingia multitudo extracta, & singulis singuli providerentur Custodes; [Tertio Romam it ad S. Gregorium III;] tum etiam tertio, propter familiarem sancti Apostolici Pontificis totiusque Clericatus communionem, discipulorum comitante cœtu, Romam venit; ut Apostolici videlicet Patris salubri frueretur colloquio, & Sanctorum se, jam ætate proventus, orationibus commendaret. At ubi, post immensam itineris vastitatem, Domno Apostolico Gregorio Juniori secundo præsentaretur, benigne susceptus est ab eo; tantaque a cunctis, tam Romanis quam etiam advenis, veneratione habebatur, ut multi ad salutarem ejus doctrinam confluerent: Francorum enim & Bajoariorum, necnon ex Britannia advenientium Saxonum, aliarumque provinciarum, ingens sedulo ejus admonitioni adhærebat multitudo.

[41] [in reditu accedit ad Luitprandum Regem,] Cumque non minimum anni spatium in his moraretur regionibus, & Sanctorum peragrando atque orando circuisset Reliquias; resalutato venerando viro ac Sedis Apostolicæ Pontifice, cum muneribus & Reliquiis Sanctorum honorifice ditatus remeavit: Italiamque perveniens, Ticenæ urbis ingressus mœnia, apud honorandum Longobardorum Liodbrandum Regem, jam senio fessis membris requiescebat. [& Odilonem Ducem.] Et recedens, non solum invitatus Bajoariorum ab Odilone Duce, sed & spontaneus visitavit incolas; mansitque apud eos diebus multis, prædicans & euangelizans verbum Dei, veræque fidei ac religionis sacramenta revocavit, & *destructores Ecclesiarum populi que perversores abigebat: quorum alii pridem falso se Episcopatus gradu prætulerunt, alii etiam Presbyteratus se officio deputabant; alii hæc atque alia*

innumerabilia fingentes, magna ex parte populum seduxerunt.

[42] [Reformat Presbyteros] Sed sanctus vir jam Deo ab infantia deditus, injuriam Domini sui non ferens, supradictum Ducem cunctumque vulgus ab injusta hæreticæ falsitatis secta & fornicaria Sacerdotum deceptione coercuit; & provinciam Bajoariorum, Odilone Duce consentiente, in quatuor divisit parochias, quatuorque his partibus præsidere fecit Episcopos, [4 Episcopatus constituit:] quos ordinatione scilicet facta in Episcopatus gradum sublevavit: quorum primus, nomine Joannes, Ecclesiæ in oppido quod dicitur Salzburg Episcopatus Cathedram suscepit; secundus Erembrecht, qui Frisingensis Ecclesiæ superspeculatoris tenuit principatum; tertius Goibaldus, qui Ecclesiæ Civitatis-Reginæ pastorale excubitoris subiit magisterium; quartus Vivilo, qui super Pataviensem Ecclesiam sacræ indagationis obtinuit dignitatem. Cumque omnia confirmato Christianitatis ordine rite agerentur, & Canonum essent jura in Bajoariis recuperata; jam ad proprias remeando rediit Ecclesias: populique sibi commissi curam gerens, caulasque gregum circumspiciens, & excubias plebis providens, oves a nefandis luporum morsibus eripuit.

[43] Cumque Karoli Ducis gloriosi temporale finitum esset regnum, & filiorum ejus Karolomanni & Pippini roboratum esset imperium; tunc Domino Deo opitulante, [sub Carolomanno & Pippino] ac suggerente S. Bonifacio Archiepiscopo, Religionis Christianæ confirmatum est testamentum, & orthodoxorum Patrum synodalia sunt in Francis correcta instituta, cunctaque Canonum auctoritate emendata & expiata; & tam laicorum injusta concubinarum copula passim; exhortante sancto viro, separata est; quam etiam Clericorum nefanda cum uxoribus conjunctio, [coërcet concubenarios & hæreticos:]

sejuncta ac segregata: tantusque in supradictis Ducibus divinæ caritatis per doctrinam S. Bonifacii fervor exarsit, ut plebem a perversa inolitæ consuetudinis censura multum liberarent, quæ proprio implicata arbitrio, & hæreticorum decepta suggestionem, jura æternæ hereditatis amiserat. Adeo enim spiritualis in populo doctrinæ lucem hæreticorum suffocaverat secta, ut tenebrosa hæreticæ deceptionis caligo magnam plebis obtexerit partem: ex quibus quidem Elberchtus & Clemens, profana pecuniarum cupiditate seducti, a via veritatis populum jugi averterunt studio. Sed a S. Bonifacio Archiepiscopo, consentientibus Karolomanno & Pippino gloriosis Ducibus, ab Ecclesiæ unitate expulsi, juxta Apostolum traditi sunt sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini. [1 Cor. 3.]

[44] Convenientibus in unum Episcopis & Presbyteris, Diaconibus atque Clericis, omnique gradu Ecclesiastico, quos inclitæ recordationis Karolomannus Dux sub Regni sui imperio accersere fecit; quintum synodale factum est Concilium; in quo Bonifacius, Archiepiscopus Moguntine, civitatis, ipso Carolomanno consentiente ac donante, [exemplo 4 Conciliorum generalium,] Pontificatu præsidens, Romanæ Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ Legatus, quatuor primitus principalium Synodorum numerosa Canonum constituta, primum missus a sancto & a venerabili Sedis Apostolicæ Pontifice Gregorio Juniore, a primo secundo; & Gregorio a secundo Juniore, cum primo tertio, viro honorabili; ob salutare doctrinæ cælestis augmentum, admonuit conservari. Et quemadmodum in Nicæa, Constantino Augusto orbis monarchiam gubernante, Arianæ eversa est perfidia blasphemiciæ; & centum quinquaginta Patrum, Theodosio seniore Constantinopoli imperante, congregatio, quemdam Macedonium, Spiritum-sanctum Deum esse refutantem, condemnavit; atque ducentorum Episcoporum unitas, sub juniore Theodosio apud Ephesinam urbem

adventata, Nestorium, geminas in Christo personas profitentem, a Catholica justo anathemate segregavit Ecclesia; necnon & Chalcedonensis Synodi sexcentorum triginta Sacerdotum conventio, Eutychen, Constantinopolitanæ urbis Abbatem, & Dioscorum defensorem ejus, Catholicæ fidei rebellantes, juxta præfinitam Patrum sententiam anathematizavit; ita equidem apud Franciam, omni funditus eradicata hæreticorum perfidia, & extirpata iniquorum conjuratione, legis divinæ augebantur incrementa, & synodales generalium Conciliorum Canones recipiebantur.

[45] Synodalis quoque spiritualis Concilii Episcoporum congregatio, [in Synodo hæreses extirpat:] juxta præfinitam authenticæ constitutionis definitionem, pariter conveniebat: quæ, ob quotidianas bellorum suspiciones, & infestam circumvallantium barbararum gentium seditione, qua * extranei & alieni populorum prædones Franciam atrociter demoliri conabantur, vel * minimi facta, vel etiam tantæ erat oblivioni tradita, ut omni penitus oblitterata præsentium seculorum memoria, jam nulla esset ratione cognita: quia mundus in se quotidie naturaliter detrimentum diminutionis etiam recuperatus patitur; sed nec renovatus, per omnia suo evanescit dispendio, & ad prædestinatum anhelando finem festinat. Quapropter si qua in hac mortali hujus peregrinationis vita ad communem in hoc mundo infirmantium profectum, ab spiritualibus medicinaliter sunt comperta auctoribus, etiamsi quandoque humanis inserta fuerint mentibus, magnæ sunt munitionis fortitudine a Catholicis conservanda, & præfixa mentis immobilitate tenenda; ne vel oblivio humana obrepat, vel etiam mundanæ oblectationis illecebrosa delectatio instigante diabolo præpediat, Quam ob causam hic sanctus Domini Antistes, hac solertissimæ sollicitudinis cura inspiratus, plebem a pestifera tortuosi serpentis

persuasione eripere curavit; & Carlomannum Ducem ad congregandum supradictum Synodorum conventum sæpissime incitavit; ut tam præsentibus, quam posteris spiritualis scientiæ sapientia patesceret, & aversa animarum circumventionem cognitio Christianitatis innotesceret.

[46] Cumque quoddam canonicæ rectitudinis speculum omnibus ad exemplum gradibus bene vivendi opponeret, & evidens cunctis veritatis vestigium oriretur; jam sibi suæque infirmitati longævo ætatis senio decrepitis, salubre exhibuit consilium, & juxta ecclesiasticæ dispositionis normulam, pastorale populis prævidit magisterium: ut, sive vivente illo, sive etiam moriente, medicinali plebs Pastorum officio minime careret; & duos bonæ industriæ viros ad ordinem Episcopatus promovit, [ordinat Episcopos, Eystadiensem S. Willibaldum, & Herbipolensem S. Burchardum:] Willibaldum * & Burghardum; eisque in intimis orientalium Francorum partibus & Bajoariorum terminis, Ecclesias sibi commissas impertiendo; distribuit: & Willibaldo suæ gubernationis parochiam commendavit, in loco cui vocabulum est Eichstat; Burghardo vero, in loco qui vocatur Wirtzaburg, dignitatis officium delegavit; & Ecclesias in confiniis Francorum atque Saxonum atque Sclavorum suo officio deputavit; & usque ad gloriosum exitus sui diem, incessanter arctam regni cælestis viam plebibus patefecit.

[47] Cum vero Pippinus, felix supradicti germani successor, Domino donante, regale Francorum Regnum suscipere; & jam, aliquantulum sedata populorum perturbatione, [consecrat Lullum Moguntinum.] in Regem sublevatus esset; cœpit anxius vota Domino devota persolvere, & Synodalia confestim recuperare instituta; ac canonica, a germano suo juxta exhortationem S. Bonifacii Archiepiscopi fideliter inchoata, instaurare

ministeria; eumque habitu simul & honore præferre, & suis in Domino parere præceptis. Sed quod sanctus vir, infirmitate corporis prægravatus, synodalia Conciliorum conventicula per omnia adire non poterat; jam consultu atque consilio gloriosi Regis, idoneum proponere ministrum supradicto gregi definivit; & Lullum, suum, ingeniosæ indolis discipulum, ad erudiendam tantæ plebis numerositatem constituit, & in Episcopatus gradum provexit atque ordinavit; eumque hereditati, quam in Christo instanti acquisierat labore, implicavit; qui & fidelis in Domino comes peregrinationis ejus erat, & testis utrobique passionis & consolationis.

ANNOTATA G. H.

Othlonus sequentia interponit: nam antea Winfrid dicebatur. Deinde ut eum ad obedientiam sibi successoribusque suis exhibendam, nec non ad omnem sacræ fidei traditionem observandam arctius constringeret, exegit & accepit ab eo juramentum, quod scilicet in antiquis exemplaribus invenitur ita scriptum. In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, imperante domino Leone Magno Imperatore, anno septimo post Consulatum ejus: sed & Constantini Magni Imperatoris, ejus filii, anno quarto, Indictione sexta: Promitto ego Bonifacius, Dei gratia Episcopus, tibi beate Petre Apostolorum princeps, Vicarioque tuo beato Gregorio Papæ & successoribus ejus, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum Corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in quo omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur: nullo modo me contra unitatem communis & universalis Ecclesie suadente quopiam consentire; sed, ut dixi, fidem & puritatem meam atque concursum, tibi & utilitatibus tuæ Ecclesiæ, cui a Domino Deo potestas

ligandi solvendique data est, & prædicto Vicario tuo atque successoribus ejus per omnia exhibere. Sed & si cognovero Antistites contra instituta antiqua sanctorum Patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem: sed magis, si valero, prohibere, prohibeam; sin minus, fideliter statim domino meo Apostolico renuntiabo. Quod si, quod absit, contra hujus promissionis meæ seriem aliquid facere, quolibet modo seu ingenio vel occasione, tentavero: reus inveniar in æterno judicio, ultionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præsumperunt. Hunc autem indiculum sacramenti ego Bonifacius, exiguus Episcopus, manu propria scripsi; atque ponens supra sacratissimum corpus S. Petri, ita, ut præscriptum est, Deo teste & iudice, feci sacramentum, quod & conservare promitto. Postquam ergo hujusmodi promissionem jurando coram Gregorio Papa peregit; tunc & ipse eam in omnibus adjuvare, præferre, & venerari studuit. Annus indicatus est Christi 723, quando litt. Dominicalis C indicat festum S. Andreae celebratum fuisse feria 3, in prima hebdomade Adventus.

Serarius Notat. 22 agit de profligatis in Turingia hæreticis. Nam cum Turingia a Rege Theoderico, Chlodovei primi filio, fuisset subacta; etiam Christianas leges suscepisse testatur Gregorius Turonensis, lib. 5 hist, cap. 4, 7 & 9.

Elbrechtus, aliis Adelbertus, de quo in Supplemento infra agitur. Clemens luxuriæ deditus ex concubina duos filios procreavit, & sibi Sacerdotium vindicans in custodia reclusus a S. Bonifacio, qui ideo a S. Zacharia Papa epist. 4 laudatur.

CAPUT IV.

**Martyrium S. Bonifacii & sociorum. Illius translatio
Ultrajectum, Moguntiam, Fuldam.**

[48] Cum autem servum suum S. Bonifacium Dominus de hujus mundi vellet tentatione eripere, [Discessurus commendat Lullo Turingiam & Fuldam:] & temporalis vitæ tribulationibus sublevare; tunc etiam Domino dispensante definitum est, ut ad Fresiam, olim corpore, non quidem mente omissam, servis Dei secum migrantibus, perveniret: ut ubi primitus, prædicationis studium ingrediens, præmiorum inchoaverat incrementa; etiam a seculo rediens, sumptus reciperet remunerationis. Sed miro quodammodo vaticinii præsigio, sequentem obitus sui diem prædicto Episcopo Lullo prænuntiavit, & quali mundum fine demum relinqueret insinuavit, eique per ordinem de ecclesiarum structura & populi doctrina proposuit dicens: Ego enim propositum pergendi iter complere cupio; ego me a desiderato proficiscendi itinere revocare non potero. Jam enim instat resolutionis meæ dies, & tempus obitus mei appropinquat: jam enim, deposito corporis ergastulo, æternæ retributionis revertar ad bravium. Sed tu, fili mi carissime, structuram in Turingia a me cæptam ecclesiarum ad perfectionis terminum deduc; tu populum ab erroris invio instantissime revoca, tuque ædificationem basilicæ jam inchoatæ ad Fuldam comple: ibidemque meum multis annorum curriculum corpus inveteratum perduc. Hisque completis sermonibus, adhuc ampliora hujusmodi addidit verba, & ita inquit ait: Fili, tuo cuncta prudentissime provide consilio, quæ in hoc nostro sint usui itinere copulanda: sed & linteum, quo meum decrepitum corpus involvatur, in theca librorum meorum repone.

[49] Cum autem præfatus sanctæ quoque religiositatis Antistes, suspiria non ferens, statim se in lacrymas dedisset; jam S. Bonifacius finito colloquio ad alia rediit; & diebus non multis interpositis, [in Frisiam appellit,] ab accepto se minime retraxit itinere; sed sumptis secum conviatoribus navem adscendit ac per Rheni fluminis alveum penetrans, nocturna portuum navigio exquisivit

loca: donec aquosa Fresorum arva ingrediens, trans stagnum quod lingua eorum dicitur Elmere *, sospes pervenit, infecundaque divino germine littora inspiciendo circuit. Cumque periculosum fluminum, marisque, & ingentium aquarum evasisset discrimen; in periculum jam sine periculo incidit, gentemque Paganam Fresorum visitavit, quæ interjacentibus aquis in multorum agrorum dividitur pagos: ita ut diversis appellati nominibus, unius tamen gentis proprietatem prætendant. Sed quia longum est ut per ordinem replicentur, eos tantum de nomine denudare studemus, qui ad narrationis nostræ seriem veraciter proferuntur: ut & locus & lingua relatam a nobis beati viri sanctimoniam æqualiter prodat, & quali hunc mundum fine desereret aperiat.

[50] Per omnem igitur Fresiam pergens, verbum Domini, Paganico ritu repulso & erroneo gentilitatis more destructo, instanter prædicabat; ecclesiasque, nomine confracto delubrorum, ingenti studio fabricavit; [ubique cum sociis verbum Dei annuntiat:] & multa jam millia hominum, virorum ac mulierum, sed & parvulorum, cum commilitone suo Coëpiscopo Eoban baptizavit, quem ad subveniendum suæ senilis ætatis debilitati, Fresonibus injuncto Episcopo, in urbe quæ vocatur Trecht a subrogavit, cum Presbyteris ac Diaconibus, quorum hæc nomina sunt: Wintrung & Walteri, simul & Adhelheri, Sacerdotali officio præditis; Hamunt, Scirbald, & Bosa, Levitarum obsequio deputatis; Waccar & Gundwaccar, Illesehere & Barthowlf, monasteriali Monachorum ordine sublevatis. Qui etiam in tantum vitæ æternæ semen cum S. Bonifacio late per populum divulgantes, Domino Deo patrocinate diffamaverunt: ut quibus, juxta Apostolicæ institutionis normam, cor erat unum & anima una, eademque esset & palma martyrii & remuneratio triumphii. [Act. 4. 32]

[51] [dicto Confirmationi dandæ die,] Postquam igitur fidei, ut prædiximus, per Fresiam illuxerat splendor, & felix sanctæ hujus vitæ appropinquaret finis; jam quidem secus ripam fluminis quod dicitur Bordne, quod est in confinibus eorum qui rustica dicuntur lingua Ostar & Whester, suorum tantum stipatus clientum numero, erexit tentoria. Sed quia festum Confirmationis neophytorum diem, & nuper baptizatorum ab Episcopo manus impositionis & Confirmationis populo prædixerat, jam longe lateque disperso, ad propriam unusquisque reversus est domum; ut, secundum definitam sententiam sancti Episcopi, universi prædestinato Confirmationis eorum die præsentarentur. Cum autem prædictus dies illuxisset, [redeunt Frisii, ex amicis hostes:] & aurora lucis orto jam sole prorumperet; tunc etiam versa vice pro amicis inimici, & novi denique lictores pro novitiis fidei cultoribus advenerant; hostiumque ingens in castra, vibrantibus armis hastata atque scutata, irruerat multitudo. Tunc repente ex adverso pueri, e castris prosilientes, utrobique se armis impetunt, & Sanctos postmodum Martyres, contra insensatum furentis populi exercitum defendere gestiunt.

[52] Sed vir Dei statim audito tumultuantis turbæ impetu, accersito ad se Clericorum choro, sumptis Sanctorum Reliquiis quas secum indesinenter habere consueverat, [quorum vim vi repelli prohibet,] ex tentorio procedit; & confestim increpando, pueris pugnæ interdixit certamen, dicens: Cessate, pueri, a conflictu, pugnæque deponite bellum: quoniam Scripturæ testimonio veraciter erudimur, ne malum pro malo, sed etiam bona pro malis reddamus. [1 Thes. 5] Jam enim diu optatus est dies, & spontaneum resolutionis nostræ tempus imminet. Confortamini igitur in Domino, & promissionis suæ gratiam gratanter sufferte: sperate in eum, [sociosque animat ad martyrium,] & liberabit animas vestras. Sed & adstantes, tam Presbyteros quam etiam Diaconos, inferiorisque ordinis

viros, Dei subditos servitio, Patris admonens voce, ait: Viri fratres, forti estote animo, & ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quorum animam manentem sine fine necare non possunt: sed gaudete in Domino, & spei vestræ anchoram in eum defigite, qui extemplo perpetuæ reddet vobis remunerationis mercedem, & cælestis aulæ sedem cum supernis Angelorum civibus condonabit. Nolite vos vanæ hujus mundi delectationi subjicere, nolite caducis gentilium adulationibus delectari: sed subitaneum hic constanter subite mortis articulum, ut regnare cum Christo possitis in ævum.

[53] [& cum iis occumbit:] Cumque tali doctrinæ hortamento discipulos ad coronam martyrii affabiliter incitaret; confestim super eos furens Paganorum tumultus, cum gladiis cunctaque militiæ armatura irruit, & felici Sanctorum cæde corpora cruentavit: statimque mortali Justorum multata carne, tirpudians Gentilium turba victricem suæ damnationis prædam arripuit, castraque depopulans manubias diripiendo impertivit. Sed & thecas, quibus multa inerant librorum volumina, & Reliquiarum capsas abstulit; magnam esse ibi tam auri argentique copiam credens, ad naves, quibus quotidianus inerat Clericorum ac puerorum victus, & aliquantulum adhuc residuum ejusdem stipendii vinum, [Percussores, discordes ob prædam, vertuntur in mutuam cædem:] obseratis (ut erant) vasculorum claustris, asportavit: ac repente adamati comperto liquoris haustu, cœpit gulosam ventris satiare ingluviem, & vino madidum inebriare stomachum; tandemque, de acceptis prædæ spoliis inito consilio, mirabili omnipotentis Dei dispositione tractare; & qualiter non visum quidem aurum vel argentum interse invicem dispertirentur consulere. Cumque prolixius de tanta pecuniarum æstimatione sermocinarentur, jam jamque jurgiorum disceptatio exorta est, & tanta discordia demum inimicitæ inchoata, quod furore etiam vesaniæ insaniens turba, in duas divisa est factiones; &

ad extremum arma, quibus sanctos antea Martyres jugularunt, in seipsos crudeliter pugnando verterunt.

[54] Tunc itaque maxima insanientis turbæ parte prostrata, jam qui supervixerant ad lucrum, [& libros pro auro sperato inventos dispergunt,] animarum vitæque damno acquisitum, jacentibus adversariis qui super sibi desiderato cupiditatis thesauro obsistebant, gaudentes cucurrerunt; & con fractis librorum repositoriis, pro auro volumina, pro argento divinæ scientiæ chartas repererunt: sicque pretioso auri argentique pretio privati, codices quos invenerunt, alios per campi planitiem disperserunt, alios paludum arundineto inferentes, alios etiam in diversis quibuscumque locis abscondentes projecerunt. Sed tam Omnipotentis gratia, quam etiam precibus S. Bonifacii summi Pontificis atque Martyris, illæsi & intemerati, magno postea dilapso temporis spatio inventi sunt; ad domum in qua usque hodie animarum prosunt saluti, a singulis quibusque inventoribus remissi. Carnifices autem super æstimatæ amissione pecuniæ contristati, domum reversi, majus damnum domesticarum rerum post trium inducias dierum, [ac brevi male pereunt:] sed & vitæ dispendium mortis recepto talione perceperunt: quia omnipotens mundi Conditor ac Reformator ulciscise voluit de inimicis, & fustum per se Sanctorum sanguinem consuetæ misericordiæ zelo puniri, ac diu protelatam idolorum cultoribus iram novo recentis malitiæ furore permotus publice ostendere.

[55] [alii etiam Pagani profligantur,] Cumque improvisa sanctorum Martyrum temporalis interemptio exin per pagos ac vicos omnemque provinciam volitaret; repente Christiani, corporali comperta Martyrum morte, maximam congregantes expeditionem exercitus, confinium terminos prompti postmodum futuræ ultionis bellatores expetunt; & revoluta supradicta dierum supputatione, infidelium sospites, sed indevoti hospites, aggrediuntur terram; ac

Paganos eis e diverso obviantes ingenti strage prostraverunt. Sed quia Pagani primo populi Christiani impetui obsistere non valebant, in fugam versi magna etiam clade corruerunt: & terga vertentes, vitam simul cum intestina eorum suppellectili & heredibus perdiderunt. Sicque Christiani, supersticiosorum tam uxoribus quam etiam filiis, necnon servis & ancillis deprædatis, ad propria redierunt: [aut ad fidem reducuntur.] fitque modo mirabili, ut superstites Gentilium accolæ præsentibus confracti malis, æterna potius tormenta fidei fulgore illuminati devitarent; & præfati Antistitis doctrinæ documentum, quod eo vivente renuerunt, eo jam moriente divinæ increpationis moderamine perterriti susceperunt.

[56] Corpus vero beati Pontificis, prosperis velis ventorumque flatibus, [Corpus Trajecti excipitur,] transfretum, quod dicitur Elmere, & aliorum Martyrum, post dies non multos perductum est ad supradictam urbem, quæ dicitur Trecht; ibique conditum ac sepultum: donec a Maguntia religiosi & fideles in Domino Fratres, a Lullo Episcopo, successore quidem hujus sancti Pontificis & Martyris Christi, directi navigio, ad perducendum beati viri cadaver ad monasterium, quod eo vivente construxerat, & secus ripam fluminis, quod dicitur Fulda, situm est, advenerunt. Quorum unus, qui & auctor itineris comitatusque aliorum extiterat, singularem, sanctimoniam ac privatam castimoniam continentiamque gerebat vitam, nomine Hadda; cui privatim præfatus Præsul legationis hujus nuntium sanctique corporis advectionem, cum Fratribus secum proficiscentibus, imposuit; ut major, sanctæ reverentiæ viro, devotionis impenderetur honor, & plurimorum amplius testificatio, in his quæ auditu vel visu perciperent, prævaleret.

[57] Cumque honorabiles tam sanctæ consocietatis Fratres ad prædictam urbem pervenirent, aliquantula obviam eis populi erat congregata collectio. Ejus denique

urbis Præfecti, eis audientibus, quemadmodum a glorioso Rege Pippino exivit edictum, intonuit interdictum; & ne inde prædicti Pontificis corpus amoveretur indictum est. Sed quia Omnipotentis magis quam hominum convalescit fortitudo, mirabile statim ac memorabile cunctis adstantibus, Angelica magis quam humana peractum cognitione, auditum est miraculum; ecclesiæque cloccum, in signum admonitionis sancti corporis, [campanis ultro pulsatis.] humana non contingente manu, commotum est: ita ut omnes repentino timoris pavore percussi, maximo timore obstupuissent, & Justi hujus reddendum esse corpus proclamarent. Sicque statim redditum est, & a prædictis sanctæ recordationis Fratibus cum Psalmis hymnisque honorifice ablatum, ac fine remigantium labore tricesima obitus sui die perductum est ad civitatem supradictam Maguntiam. [Idem Moguntiam,]

[58] Miraque Dei omnipotentis providentia factum est, ut uno eodemque die, sine statuto prædefinitionis die, quasi ad statutum prædestinationis diem, tam legati sanctum deferentes corpus, quam etiam de longinquis longe lateque regionibus, multi virorum ac mulierum fidelium ad sancti viri mortis obsequia convenerint. Sed & supradictus dominus Antistes, [die quo illus Episcopus cum plurimo populo advenerat;] tam venerandæ dignitatis successor, qui regali illo tempore præsens erat Palatio, hujus omnino ignarus causæ, adventus sancti corporis inscius, ad civitatem quam prædiximus, veluti sub uno eodemque horæ momento pervenit: tantaque omnibus aliunde advenientibus, vel etiam ejusdem urbis civibus, & doloris incubuerat mæstitia, & gaudii exuperabat lætitia; ut etiam tanti Pontificis perfecta temporanea morte corporis, & amissum carnaliter dolerent, & futurum sibi suisque in posterum perpetualiter Patronum crederent. Quapropter geminis his causis existentibus, compuncti cordibus, cum Presbyteris & Diaconibus, omnique gradu Ecclesiastico, ad eum quem vivens prædestinaverat

locum perduxerunt; & novo in ecclesia confecto sarcophago, ex more sepelientes posuerunt; omnibusque rite peractis redierunt, & fidei robore confortati ad propria pervenerunt. [indeque Fuldam delatum,]

[59] Sed in loco ubi sanctum deposuerunt corpus, divina deinceps beneficia redundabant, & sancti viri precibus hi qui ad eundem diversis infirmitatibus oppressi perveniunt locum, salubre tam corporum, quam etiam mentium remedium consequuntur: ita ut alii jam toto corpore præmortui, peneque per omnia exanimes, [claret miraculis:] ultimum tamen interim exhalantes spiritum, pristinae redditi sint sanitati; alii vero, luminibus cæcitate pressis, suum receperint visum: alii diaboli laqueis adstricti, & jam mente capti & insanientes, animi postmodum detinuerint integritatem; & pristina dediti salute, laudantes glorificarent Deum, qui suum dignatus est servum tanto munere decoratum ditare, honorare, & præsentibus ac futuris seculorum temporibus, patefactione corusca miraculorum ostensa, quadragesimo peregrinationis ejus anno revoluto glorificare; qui & Incarnationis Domini septingentesimus & quinquagesimus quintus annus, cum Indictione octava, computatur. Sedit autem in Episcopatu annos XXXVI, menses sex, & dies sex; & sic ordine supradicto, die Nonarum Junii, martyrii triumpho remuneratus, migravit ad Dominum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

[60] Enumeratis igitur beati viri gestis, quibus in infantia & pueritia, vel adolescentia & juventute, aut etiam in senectute floruerat; ad ea quæ post emensam hujus mundi metam, & felicem vitæ istius decursum, mirabiliter, [Fons cælitus scaturiens in loco martyrii,] ad annuendam mortalibus beati viri vitæ sanctitatem, Domino cooperante peracta sunt, redeamus; & memorabile quoddam miraculum populisque imitabile ad memoriam

reducamus; quod & a glorioso Rege Pippino, sicut ipsis sibi referentibus, qui huic præsentibus erant miraculo, compertum est, & ad nos usque per venerabilem virum Lull Episcopum delatum est, atque ita ipso nuntiante intimatum: quod [contigit] in loco, ubi quondam pretiosus sancti Martyris effusus est sanguis, cum, consilio plebis atque ingentis partis populi Fresonum, structuram cujusdam tumuli, propter immensas ledonis ac malinæ irruptiones (quæ diverso inter se ordine maris æstu Oceanique recursum; sed & aquarum diminutione infusioneque commoventur) ab imo in excelsum usque construerent; super quem denique Ecclesiam, sicut postea gestum est, exstruere cogitabant, ac servorum Dei habitationem in loco eodem collocare. Sed cum præfatum colliculi opus jam ex integro ædificarent, & omne ædificium ipsius structuræ complerent; & jam ad se reversi incolæ & habitatores loci ipsius, [ab equo istuc collabente indicatur.] de insulsæ penuria lymphæ, quæ per omnem Fresiam, maximam tam hominibus quam etiam animantibus difficultatem gignit, inter se invicem disputarent; tum demum unus, Domino miserante, qui officium Præfecturæ, secundum indictum gloriosi Regis Pippini, super pagum locumque illum gerebat, & princeps operis ipsius erat, nomine Abbo; sumptis secum collegis equum ascendit; ac circumagrato colle, tumuloque inspecto, repente cujusdam pueri caballus, ex improvise pedibus terræ impressis, ruinæ penitus casura tentabatur, anterioribusque humo infixis cruribus volutabatur; donec ii qui agiliores solertioresque extiterant, descensus suis præpopere caballis, equum terræ inhærentem extraherent. Sed stupendum statim ac spectaculo dignum iis qui aderant ostensum est miraculum: & limpidissimus extra consuetudinem illius terræ fons, miræ suavitatis gustu indulcatus, prorumpebat, & per incognitos penetrans meatus profluebat, ut rivus jam maximus esse videretur. Quo

**obstupefacti miraculo, exultantes atque alacres domum
reversi, ea quæ viderunt plebibus divulgaverunt.**